



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XVIII. Markgraf Ludwig gewährt der Stadt Müncheberg die Zusicherung
hergebrachten Zoll-Abgaben für die Straßenfahrt, sowie die
Holzungs-Gerechtigkeit, am 27. Oktober 1348.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

XVIII. Markgraf Ludwig gewährt der Stadt Müncheberg die Zusicherung hergebrachter Zoll-Abgaben für die Straßenfahrt, sowie die Holzungs-Gerechtigkeit, am 27. Oktober 1348.

Noverint univērsi tenorem presentium inspecturi, quod Nos Ludowicus, Dei Gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie et Carinthie sacrique Romani imperii Archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, nec non Aquilegiensis, Tridentinensis et Prychsiensis ecclesiarum Advocatus, Discretis viris Consulibus et univērsis ac singulis inhabitantibus presentibus et futuris Civitatis nostre Mönchberg, ob fidelitatis sue constantiam in nostris probabiliter et actualiter compertam, et ob id, ut nobis et heredibus nostris perpetuo in debita fidelitate constanter et fideliter commaneant, gratiam fecimus et presentibus facimus subsequenter, Videlicet quod transitus curruum sive communis strata, que in selowe et Quilitz hactenus continuabitur, in antea apud ipsos in predicta nostra Civitate Monchberg sub consimili thelonei datione, sicut ex antiqua consuetudine observatum, et debebunt continuari cursibus temporum sempiternis. Poterunt etiam ligna ad structura et munimenta civitatis nostre predicte competentia pro sua legitima necessitate et ligna jacentia ad comburendum apta cum lignis stantibus, vulgari nomine Erleyn et Birchen nominatis, et Raßholtz predicti Consules ex merica dicta Episcopi recipere, sine nostri, heredum et officiatorum nostrorum quorumlibet obstaculo, quotiens ipsis conveniens ac visum fuit oportunum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Testes etiam huius sunt nobis vir Guntherus, Comes de Swartzburg, Dominus in Spreumberg, nec non strenui viri Ulricus Vilbrand, Beringerus Helle, Marscalcus noster, et Wolfhardus de Satzenhowen cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Monchberg, Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, feria secunda in vigilia symonis et Jude apostolorum beatorum.

Aus der Gumbding'schen Urkundensammlung, Npt. III. 2, S. 127.

XIX. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt und transsumirt eine Urkunde vom 15. August 1328, worin die Stadt Müncheberg den Wald Göpernitz mit dem Rechte, darin Wild zu hegen, für 20 Mark gekauft hat, am 28. Oktober 1348.

Nos Ludowicus, Dei gracia Brandenburgensis et Lusatie marchio, Comes palatinus reny, bauarie et karinthie Dux, sacri romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, nec non Aquilegiensis, Trydentinensis et Prychfyensis ecclesiarum aduocatus, recognoscimus publice per presentes, Quod venientes ad nos discreti viri consules ciuitatis Muncheberg, fideles nostri dilecti, vt ipsis literam Subscriptam confirmare dignaremur, cum instacia supplicantes, Cuius quidem precibus fauorabiliter annuimus iuxta vota ipsius eandem literam approbamus, ratificamus et tenore presentis litere confirmamus.